

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 33. (*Neovidensis* 1806. Nro. 26.)

*Ex Campis Elysiis
Colloquium Politicum
vita functorum.*

Elysium, -- Meum, -- Die Martis, 15. April 1806. (*Neov.* 28. Mart.)

— — — Ubique
Luctus, ubique pavor.

Virgil.

Colloquentes umbræ:
Anacharsis Cloots, & Danton.

Cloots. Dilectissime amicorum! Ita nobiscum actum est, sicut cum Romanis. Felix miles plus potest, quam Advocatus, inter quos etiam tu censebaris.

Danton. Orator generis humani! Apud Romanos Julius Cæsar dedit pulcherrimum exemplum pro gallica constitutione. Iste est cursus rerum humanarum. Gladius majus infligit vulnus, quam calamus. Qui illum dextre scit stringere, absecat huic una cum manu. Ego causas agebam in judicio, & perii.

Cloots. Ego vero peregrinus eram in novo Regno, peroravi pro genere humano, fuisse propterea fortunatior?

Danton. Sed etiam in tua patria magnæ

fiunt mutationes. Puto extitisse tempora, quibus illam Gallia sibi jure vendicabat?

Cloots. Illusio poëtica est, quæ inter memorabilia refertur, primos Cliviensis provinciæ incolas originem ducere ab equitibus olorinis, qui per diversos fabellarum Romanensium campos magna cum prosopopæia spatiantur. Certior tamen sententia est asserentium, præfuisse eidem Comites de Aten, qui simul titulo Comitum de Testerbard gaudebant.

Danton. In hac regione habitasse Romanos probant multæ ibidem inventæ Inscriptiones, nummi, aliæque antiquitates romanorum.

Cloots. Tandem provinciæ Juliæ acensis, Cliviensis, Montana per fœdera, & connubia unius potestati subjectæ sunt. Adolphus erat primus Dux Cliviæ, ad quam dignitatem eum Sigismundus Imperator A. 1417 Constantiæ evexit. Verum A. 1609 per mortem ultimi Ducis Joannis Vilhelmi extincta familia varii Principes de possessione horum Ducatum concertabant. Domus Saxonica jus suum fundavit partim in obtenta spe succedendi, vel plane in Cæsareo feudo, partim in matrimonio, quod Elector Saxonie Joannes, Fridericus iniverat cum Sybilla, filia Joannis III Ducis Juliæ acensis, & Cliviensis. Alii competitores erant familiæ a Duce Vilhelmo XII. vel IV. prognatæ, cujus maxima natu filia, Maria, Eleonora nupta fuit Alberto Friderico Marchioni Brandenburgico, & Duci Prussiæ; ex quo conjugio nata est Princeps Anna conjux Joannis Sigismundi Electoris Brandenburgici. Secundam sororem acce-

perat in uxorem Philippus. Ludovicus Comes Palatinus Neoburgensis; Tertiam Joannes I. Bipontinus; Quartam denique Sybillam Carolus Burgundicus. Hæ Domus contendebant de successione adversus Saxoniam. Controversia in eo versabatur: an Saxoniam, vel ultimi Ducis soror debeat succedere in relicto patrimonio? An e quatuor sororibus sola maxima natu, an omnes quatuor hæreditatem adire? Quæ nam ex illis, an Principi Brandenburgico, an vero Neoburgico nupta habenda maxima natu?

Danton. Peto veniam — Etiam Dux Ni-vernensis venit ex Gallia ad comprobanda sua jura, quod per matrem sanguine jungeretur Competitoribus, & jam dudum Ducis Cliviæ titulo uteretur. Profecto, nisi Henricus Magnus A. 1610. fuisset violenta morte e medio sublatus, hanc hæreditatem bello quæsivisset.

Cloots. Nullus dubitaverim. Interim Borussia, & Bavaria has provincias inter se partiti sunt, uti inter omnes constat.

Danton. Nunc autem, quam mirabiles sunt dispositiones potentis politicæ! eadem obtinent gallico Principi — Joachimo Murat, qui futurus est Princeps Germaniæ.

Cloots. Unde narras hanc tam miram novitatem?

Danton. Legam tibi ephemerides Colonenses:

Colonia 24. Martii. Heri, die Domini 23. Martii Düsseldorfii, & Vesaliæ, atque in toto Principatus Cliviensis, & Montani ambitu sequentia duo Edicta promulgata sunt:

I.

Napoleon Dei gratia, & vi constitutionis Imperator Gallorum, & Rex Italiæ, salutem omnibus, qui præsens scriptum legerint.

Cum Suxæ Majestates, Rex Borussiae, & Bavariæ Principatus Cliviensem, & Montanum cum omnibus juribus, titulis, ac prærogativis, quæ cum possessione utriusque hujus principatus connexæ erant, & quemadmodum ipsi possidebant, nobis cesserint, ut de iis in favorem alicujus Principis pro arbitrio nostro disponeremus; eapropter dictos Principatus, eorum jura, titulos, & prærogativas cum plena potestate, uti nobis cessi sunt, transtulimus, & hisce transferimus in Principem Joachimum, nostrum Charissimum Affinem, ut eosdem in qualitate Ducis Cliviensis & Montani possideat, atque in suos naturales, & legitimos masculini sexus posteros, juxta ordinem Primogenituræ transmittat, excluso in perpetuum sexu sæmineo, ejusque progenie.

Si autem, quod Deus avertat, ex dicto Principe Joachimo, nostro Affine, nulli masculi, & legitimi successores amplius superessent, memorati Principatus cum omnibus juribus, titulis, ac prærogativis transeant ad nostros masculos, naturales, & legitimos descendentes, his vero deficientibus ad descendentes nostri Fratris Principis Josephi, & in horum defectu ad descendentes nostri Fratris Principis Ludovici, quin tamen unquam possint iidem Principatus cum nostra Cæsarea corona conjungi.

Quoniam ad hanc electionem, quam in persona Principis Joachimi, nostri Affinis fecimus, per id potissimum sumus impulsus, quod eximias ejus dotes noverimus, certissimisque compererimus indicia emolumenta, quæ inde in incolas Principatum Cliviensis, & Montani redundatura sunt, hac de causa speramus firmissime fore, ut se gratia novi sui Principis quam dignissimos reddant, & porro quoque continent, fidelitate partam sub antiquis Ducibus bonam existimationem, & per id etiam nostram Cæsaream gratiam, & patrocinium promoveri.

Datum Parisiis in nostro palatio, die 5. mensis Martii 1806.

Napoleon.

II.

Nos Joachimus, Princeps, & Magnus Admiralis Galliæ, Dux Cliviensis, & Montanus &c. &c. Mandavimus, & mandamus, ut sequitur:

Articulus 1) Edictum Cæsareum, quo Sua Majestas Imperator Gallorum, & Rex Italiæ plenum dominium Principatum Cliviensis & Montani in nos transtulit, in toto utriusque hujus Principatus circuitu die 23. lantis mensis Martii promulgabitur, & affigetur.

Art. 2) In civili, & judiciali administratione Principatum Cliviensis, & Montani nihil immutabitur. Omnes publici magistratus, Justitiæ, & Politicæ ministri, munere suo fungentes, peragent continenter suas functiones.

Art. 3) Statim a tempore promulgationis

supra dicti Cæsarei Decreti, & hujus præsentis in utroque Principatu justitia nomine nostro administretur, & omnia publica acta nostra autoritate confirmentur, quemadmodum hoc olim nomine, & autoritate nostrorum antecessorum factum est.

Art. 4) Ut autem hæc constitutio accurate impleatur, operam dabit in Principatu Montano Liber Baro Hompesch, & in Principatu Cliviæ Præses administrationis.

Datum in primario nostro hospitio, Coloniæ 21. Martii 1806.

Joachimus.

Communicamus præterea programma ceremoniarum, quæ 25. Martii occasione solennis ingressus Principis Joachimi, Ducis Cliviensis, & Montani in urbem Düsseldorfum, utpote habitationis principalem observabuntur:

Art. 1) Honoraria legio equestris urbis Düsseldorfensis conferet se ex parte Rheni ad limites Principatus deductura Principem Joachimum.

Art. 2) Magistratus occupabit portam exteriorem Düsseldorfii, porrigitque Principi claves urbis.

Art. 3) Puncto temporis, quo Princeps fuerit urbem ingressus, solventur tormenta in vallis collocata, & pulsabitur omne æs campanum.

Art. 4. Die 25. Martii summo mane, circa meridiem, & hora sexta vespertina dabuntur signa lætitiæ ex tormentis.

Art. 5) Princeps recta petet suum palati-

um, in
gregati
stration

Ab
bunt or
vehetu

A
corusc

D
ber Ba
Ducat
Gallia

ejus a
tio se
ria sc
Junio

tores
Elam
rorun
tum,

gato
mine
esse
em a

los,
hoc
ria
nati

Con
rita
bi f
age

um, in quo in parte infima ad gradus a congregatis ordinibus, & omnibus civilis administrationis administris salutabitur.

Art. 6) Gallicæ copię sumtis armis formabunt ordinem per plateas, per quas Princeps vehetur.

Art. 7) Vesperi tota urbs festivis ignibus coruscabit.

BIOGRAPHIAE.

De Cloots, (Joannes Bapt. Anacharsis, Liber Baro) membrum nationalis Conventus, ex Ducatu Cliviæ oriundus, puer adhuc venit in Gallias. Fama inelytus Canonicus Pauv erat ejus avunculus, & Proly cognatus. Statim initio seditionis fanaticæ eidem adhæsit, edidit varia scripta, & egit histrionem. A. 1790 mense Junio conduxit 50 circiter famulos, & crispatores, vestivitque more Parthorum, Medorum, Elamitarum, Turcarum, Judæorum, & Maurorum. Hos ille adduxit ad nationalem conventum, non joco, sed serio asserens, esse ablegatos ab universo genere humano, cujus nomine elegantem dixit orationem, certumque esse jussit nationalem Conventum, propediem adventuros ex toto terrarum orbe populos, qui se nationali Conventui subjiciant. Ex hoc tempore qua *Orator generis humani* per varia scripta apud Jacobinos, per legationes in nationali Conventu, ac demum qua membrum Conventus tumultum ciebat. Quamvis ob veritates, quas dictis suis admiscuit, subinde sibi favens judicium procuraverit, ejus tamen in agendo impudentem audaciam, & vaniloquen-

tiam nemo ferebat. Aliquanto tempore operam dabat ephemeridibus *Gazette universelle* dictis, Cum fine A. 1791. & initio A. 1792 identidem rogavit nationalem Conventum, ut bellum indiceret Germaniæ, quod postquam factum est, ad illud inchoandum ex amore patriæ dono dedit 12 millia libr. A. 1792 secutus est partes Girondistarum, at in Novembri descivit ad Jacobinos, scripsitque exigui voluminis opus, quod inscripsit: — *Ni Marat, ni Roland, opinion a' Anach. Cloct.* hoc magnam excitavit Parisiis attentionem. Tandem nactus est accusatorem Robespierrium; 27. Decembris A. 1793 carceri mancipatus est, & 24 Martii A. 1794 annos natus 38. capite plexus.

Danton. (Georgius, Jacobus) membrum nationalis Conventus Parisini, prius Advocatus, Homo ferus, & arrogans, qui omnem vim in eo ponebat; ut viris illustribus sua eloquentia insultaret. Indole pollebat crudeli, quæ tantum occasione indigebat, & autoritate ad ostendendum suis collegis, quantopere iis addictus sit, & quam vili pretio possit suam superbiam exsatiare. Qua minister anxius implebat curis Regem, qua membrum Conventus diu terebat suos hostes, diu erat amicissimus suo interfectori Robespierrio, qui ejus petulantia lata mortis sententia finem imposuit; Anno enim 1794 annorum 34 securi percussus occubuit. Externa ejus forma feritatem referebat, & dominandi libidinem. Structura corporis erat firma, non tamen gravis; parvum suum rotundum caput crispis & fuscis ornatum capillis jactabat retrorsum; exigui ejus nigri oculi scintillabant. Quod autem mores attinet, abdomini erat natus, & deditus luxuriæ.